







# PUBLICUM

CAROLI SANGRII

E T

JOSEPHI CAPYCII

Nobilium Neapolitanorum

F U N U S

## A CAROLO AUSTRIO

*III. Hispan. Indiar. & Neap. Rege*

I N D I C T U M

E T

Ab Illustrissimo, Excellentissimoque Viro

## WIRICO COM. DE DAUN

JOSEPHICAES. Militum Tribuno, ejusq. copiis

in Regno Neap. cum summo imperio Praefecto,

& Regni Moderatore Pro-Rege

C U R A T U M



NEAP. Typis Felicis Mosca, Anno ccccviii.  
*Permissu Publico.*

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000

1400110000



CAROLO AVSTRO  
III. HISPAN. INDIAR. ET NEAP. REGI  
PIO  
QVOD VELIT  
FELICI  
QVOD POSSIT  
AMPLISSIMA PARARE REGNA  
VT DEFVNCTIS DE RE AVSTRIACA BENE MERITIS  
IVSTA FACIAT  
WIRICVS COMES DAVN.  
IOSEPHI CAES. MILITVM TRIBVNVS  
EIVSQ. COPIIS IN REGNO NEAP.  
CVM SVMMO IMPERIO PRAEFECTVS  
EIVSDEMQ. REGNI VICARIVS MODERATOR  
QVOD  
IOSEPHI CAPYCHII ET CAROLI SANGRII  
PVBLICVM FVNVS  
EXCOGITATIS HONORIBVS A SE CVRANDVM MANDAVIT  
HOC DESCRIPTVM LIBRO  
VENERABVNDVS MITTIT  
PRAECLARAS AVTEM  
PIETATIS MVNIFICENTIAE FIDEI MAGNIQ. ANIMI  
INDE EI PARTAS LAVDES  
SI QVIS ORATIONE COMPLECTI POSSET  
HEIC CONCLVSAS  
MITTERET QVOQVE





# ACTA FUNERIS.

*Ub initia belli de Hispaniensis Imperii successione, aliquot Neapolitanii, nobili genere orti, Austrii Principis studio, & Austriaco jure ducti xi Kal. Octobris anno cloIocci in principe Regni urbe Neapoli CAROLUM AUSTRIUM Neapolitanorum Regem appellarunt. Sed quia incoepum, deſtituente consilium Fortuna, inter ipsa tentamina disturbatum; plerique Regno ad Leopoldum Caes. excesserunt: a quo sancte in fidem recepti, & pro cuiusque virtute, ac merito liberaliter habiti sunt. Carolus autem Sangrius, & Josephus Capycius, hic e Ro-*

a

fra-

*franensium ; ille e Sanctolucidensium Marchionibus , primus morbo impeditus , alter fugam perosus , oppressique , pro CAROLO Rege mortem , uti viros fortis decet , imperterriti oppetiere . Sed sexto post belli anno , cum Neapolitana expeditio praeclarissimo , fortissimoque viro , Wirico , Comiti de Daun a JOSEPHO CAES. decreta esset ; CAROLO Regi , ea deliberatione renunciata , prima curarum fuit ; Regno parto , primum omnium Carolo Sangrio , & Josepho Capycio publico funere parentari . Itaque Dau-nius per summam nominis autoritatem , quam praeclarissima rerum gestarum fama sibi comparavit , inoffenso agmine universam Italiam emensus , vix Regnum , Regniisque caput Neapolim ingressus est , quum a Rege literas ea de re ipsi , tanquam agmen adbuc facienti scriptas in hanc sententiam accepit .*

Cum eorum , qui per gloriam pro meo regno occubuerunt , cum omnium , tum Caroli Sangrii , & Josephi Capycii maxime , & quam bene sint de me fide , & amore meriti memor agam ; Cumque mihi ipsorum capita Andecavensium Ducis jussu in urbe Neapoli ostentui exposita esse dicantur ; jam tempus datur ( spero enim ex sua virtute Deum Opt. Max. meae jus caussae in ejus expeditione Regni adjuvaturum ) ut iis sepulchrum pro viorum , ac rerum gestarum dignitate honorificum extruatur . Ac pro imperio item jubeo , iisdem illico funus , quantum pote est , magnificenter instruatum cures : ad quod omnes Magistratus tecum fre-

frequentes majoris honoris caussa convenient. Praeterea sepulchris epitaphia, quae & talium, ac tam fortium virorum fidem, & meum erga eos gratum animum moneant, proponantur; ut omnes sciant, & posteris innotescat, quod summa eorum erga me studia uti Dux Andecavensis, quo alios deterreret, mortis exemplis in ipsos editis coercere conatus est; perinde ego honore affici diligam; ut exemplo sint, in quo meorum fides subjectorum ad imitandum ceteris proponatur. Illud autem moneo, quod, si forte nondum Neapolim ingressus haec acceperis jussa, primum omnium id funus, quibus indixi honoribus, exequaris; meque de eo facto, nam scire cupio, facias certiorem. Barcino-ne iv. Idus Julias Anno ccccii.

Itaque Daunius extemplo Regia mandata, ac sedulo facere instituit: Et in Divi Dominici sacra aede, quae Et Regii juris est, Et utriusque viri familiaria sepulchra habet, edi placuit funus. Tum Capycii ossa, quae in Divae Mariae Coronatae, in Apenninis Campaniae montibus, ubi occubuerat, sita erant, effossa sunt; Et clam in principem urbis arcem, Castrum novum dictam, translata; Et cum capite, quod ibi erat, composita. Nam Sangrii in ejusdem arcis sacra aede integrum jacebat corpus humatum. Ad haec aerarii Quaestorem jubet, qui de aere publico opera facienda locet: mandatque Benedicto Laudato Congr. Casin. in Regio Monasterio DD. Severini, Et Sossii Priori, viro divinarum rerum adprime docto, ut oratione la-

tina defunctos pro concione laudaret ; Et Johanni  
Baptistae a Vico , Regio eloquentiae Professori , ut  
cetera funerum solita exequeretur : quae omnia ,  
quo curatiora , Et magnificentiora succederent , Re-  
gis de funere placitum utili interpretamento diu-  
nius tractum est . Tandem ix. Kal. Martii mensis  
proximi indictum : sed pridie ejus diei ita instau-  
ratum . Pullo sacra arcis aedes paratu : Et in me-  
dia aede statutum feretrum , culcita ex auro te-  
xtili stratum ; ad cuius angulos gentilicia utrius-  
que stemmata acu pieta . Super feretro duo capu-  
la eodem vestis genere circumiecta : ad quorum  
inauratas seras certa cujusque stemmata phry-  
giata : ibique intus plumbatae arculae , ubi cujusque  
ossa secretim condita . Super quoque capulo  
scipio militaris , ensis , corona ; nobilitatis , Et mili-  
taris honoris insignia . Juxta feretrum homines ,  
Praeficarum instar , lugubri ueste graves gentili-  
cias defunctorum imagines bastis praefixas sustine-  
bant . Igitur , tanquam super corporibus recens ex-  
animatis , ad meridiem usque sacra piacularia fa-  
cta , Et suprema officia soluta . Meridie exacto in  
areis ; qua efferendum funus erat , cunei militares  
dispositi : Et squalentibus signis , versisque armis ,  
Et moesto sonore Militia defunctos lugebat viros .  
Vergente ad occasum die ita funus elatum . Prin-  
cipio peditum cohors eodem tristi cultu praei-  
bat . Tum biscentum e Dominicana Familia Coe-  
nobitae , Et Jobannitae Canonici cum accensis fu-  
naliibus bini procedere . Dein generosi equi duo


lon-

longa luctuosae vestis trahabant syrmata, pedes  
sanguine in ostentationem foedati, quasi iis de in-  
dustria corruptis, quando non amplius dominis,  
usui essent praeterea nemini. Porro, quos Praefi-  
cas diximus imitari, gentilicias imagines praefere-  
bant. Funus autem comitabantur viri nobiles, qui  
culcitae sustinebant oras: Et Amplissimus Ordo, ac  
majores Magistratus cum urbani, tum militares  
sequebantur. Tandem altera peditum cohors clau-  
debat pompam: quam ita instructi ex arce per Fran-  
ciscanam in Toletanam ingressi, inde in Mata-  
nensium Ducis viam digredientes in Divi Domi-  
nici aedem perduxerunt. Postero die iustitium indi-  
ctum: Et cives frequentissimi in funeris aedem con-  
fluere; quibus in hunc modum ornata patuit. In tem-  
pli fronte pictura inerat, quæ templi vestibulum ex  
marmore affabre incrustatum referebat: atque frons  
ipsa nigris ornata vittis auro textili fimbriatis ad  
moestitiam decora: hinc, atque hinc inter antas  
tanquam marmorea utriusque viri signa vittis ad-  
pensa videbantur. In vestibulo tabula inscripta,  
quorum funus virorum, cur in eo potissimum tem-  
plo, quo merito, Et a quo indictum, monebat ci-  
ties. Interiora templi, quae tectorio opere inducta  
sunt, nigris item distincta vittis: Et vittae in spe-  
ciem auro praetextae, vel super testacea lorica ar-  
gute excurrebant; vel in basilicae corona arte con-  
trahebantur in nodos, ut hinc, atque hinc per ar-  
cuum vana quodammodo pendentes faceret sinus.  
Super valvis defunctorum icones virorum graphice  
expres-


expressae: in quas contuentes cives; dum eorum me-  
morant vitae adversa, & funeris publici praecla-  
rum spectant honorem, Summi Numinis providen-  
tiam admirantur. Ad summos autem arcuum an-  
gulos tabulae pictae adpensae, & ad imas tabulas  
ceu evoluti codicilli applicati. Tabulae autem pi-  
cturas, codicilli carmina emblematum exhibebant.  
Hinc ad pilorum capita, super quas ipsi pendent  
arcus, antiquorum exemplo, qui dicta vitae agen-  
dæ utilia inscribebant in templis, ejusmodi di-  
cta e re nata in minoribus tabellis proposita le-  
gebantur: ac tum dicta, tum emblemata vel no-  
bile virorum genus, virtutes, fortunam, facta;  
vel Regis in eos pictatem, & munificentiam; vel  
eximium publici funeris honorem significabant.  
At in media aede temporarius tamquam ex por-  
phyrite tumulus quadrangula facie extructus erat;  
qui pro basilicae modo latera fronte babebat ob-  
longiora: isque per gradus fastigiatus corona tem-  
pli tenus exsurgebat. In tumuli basi, quae valvas  
spectabat, Sangrii; ab altari vero Capycii epita-  
phium legebatur. Circa imum tumulum complura,  
& ingentia ex argento candelabra, & alia per tu-  
muli gradus spissim statuta: & e summae basis an-  
gulis alia quasi multorum luminum fercula ad sum-  
mum usque tumulum consurgebant; itaut cunctis ac-  
cessis, & per summam concinnitatem, copiamque  
dispositis non tumulus collucere, sed pyra instru-  
ctis, ut ita dicam, facibus conflagrare videretur.  
Sub summo tumulo culcita, quam diximus, con-  
teclo

tecto illata ossa : ac super eo ex auro textili pulvinaria ; ac insuper scipiones militares , enses , corone . Altare autem , araeque spissis luminibus illustres , & sacro instrumento praedivites : atque in iis universum mane inferiae celebratae . Tandem solenne sacrum in altari ad symphoniam factum : cui Daunius ProRege , & primaria , ac letissima Foemina , Barbara , Comes Daunia , ProRegina , Decuriones Civitatis , Summus Senatus , ceterique Magistratus , ac militares Tribuni , ac plurima Nobilitas adfuere . Solemnibus operatis , Benedictus Laudatus defunctos pro suggestu gravibus rerum argumentis , & Patrum stylo laudavit . Perorata denique oratione , Daunio , ejusque uxori , ac omnibus , qui ad funus honore digni convenerant , in Templi excessu libros , in quibus haec omnia typis mandata sunt , viri ad id adsignati diribuere : uti & ad Regem , Reginamque , ad Caesarem , & Augustas missi . Et illud decretum , uti , peracto funere , in media culcita Regia insignia phrygio item opere extarent : eaque sacrae funeris aedi , rei actae monimento relinqueretur : & capula , uti solet , in Regio Coenobii conditorio asservari : & in Capyciorum Sacello , & Sangriorum Ara ex marmore sepulchra extrui , ubi cujusque conderentur ossa , & in marmoreis tabb. epitaphia inscriberentur : quae , quando iis honores a Rege ex aequo jussi , & una inscriptionum praescripta formula , ad unum ferme exemplum concepta sunt .














Cristoforo Scor Inuen.

F de Grado sculp. Neap





# ORATIO.

**I**VINA terrarum orbis Princeps Voluntas , quæ altissimis consiliis , stabilique nutu , cœlo , terrisque involuta moderatur , quæque , ut cum Prospero loquar , rerum metas secum habet , & numeros , cuique acta , & agenda simul assistunt , nunquam nobis admirationem sui , venerationemve ingereret , nisi quandoquè per vias incomprehensibiles , theatrum nobis aperiret , in quo vel diù cupita possemus , vel multis , quæ nobis grata obveniunt , lætamur impensiūs : Cupiditas enim nostra , quæ nec expletur , nec satiatur unquam , futuri haud patiens , dum dies , vel hora , rerum , quas expectat , prote lat usuram , mox vel desiderata desperat , vel ad alia declinans ventura contemnit ; mirabilis verò Deus , ut sapientiæ , scientiæque suæ altitudine mortalium genus , omnia sese æterno consilio regere , & à fine usque ad finem disponere , edoceat , causas causis innectens , per varios eventuum , veluti tortuosos anfractus , perque varios currentium , & recurren-

A tium

tium mutationum flexus , id sanè præstat , ut dies , vel hora nobis improvisò concedat , quod tunc exspectare , nec putabamus . Si tantæ quidem veritatis non ratiocinationes nobis , non auctoritates , non exempla suppeterent , quis negare audebit , ex hoc solùm , quod hodie in hac Sacra Basilica conspicimus , firmissimum cunctis emersurum Divinæ Providentiæ argumentum , cuius , & si pretium foret , tenaciùs evaderemus Assertores . Exequiarum Justa , quibus tristi vultu , Humanissimi Proceres , assidetis , quæve ego , præteritarum recordatione rerum interturbatus , lamentor , si nescitis , sic voluit excitata Invictissimus CAROLUS TERTIUS , Hispaniarum , & Neapolis Rex Augustissimus . In hoc itaque ferali spectaculo , funebrique pompa , gloriose cineribus Caroli de Sangrio , è Sanctolucidentium , & Josephi Capycii , è Rofranentium Marchionibus , Christiano ritu parentamus ; his Duobus , quæ fortitudine , quæ fidelitate Heroibus , quos huimus tumultuario quondam , ac tacito exceptit funere , post exactum lustrum , annumque alterius penè secundum , parentales honores sollemniūs excitamus . O nunquam satis , inter clarissimos Reges , eximia Austriacæ domus Pietas commendanda ! quæ certè , instituti immemorem , alid raperet Orantem , ni merita laude fortissimos Viros , inter maiores bellorum curas cumulandos esse , vel unus Carolus imperasset . Minime vos latere arbitror A. A. in Regia Barchinonensi Aula , dum de nupera expeditione agebatur Neapolitana , unum omnium judicium , unumque inter Majores Aulicos fuisse consensum , de militari scilicet apparatus ,

tu ; hostibus profligandis , urbe capessenda , castris muniendis , legibus dandis , vectigalibus denique pensitandis ; id inter eos sapientes Viros , ut proprium exposcebat munus , negotii erat , & rerum agendarum summa . Clementissima vero Regis nostri CAROLI Indoles , avitæ pietatis vestigia proterens , qui crederet , inter majores redintegrandi sui Imperii sollicitudines , non minorem animo volvebat curam ; ut primùm nempe exoptatissimum fidelissima Neapolis suum exciperet Regem , prior sui Administri occupatio foret , Josephi Capycii , & Caroli de Sangrio cineribus amplissimum funus ; sacras inferias , dignumque sepulchrum Viris illustribus instaurare . Hanc , quam diu erga tantos cives , bonam conceperat gratiam , opportuno , quod Deus elargitus est tempore , singulare manifestavit imperio , cui nos , magna Neapolitani nominis laude , hisce exequiarum muneribus hodie obtemperamus . Dum igitur vos tantum Regiae Pietatis , Clementiae , ac Religionis , ut æquum est , commendatis officium , Ego ejusdem propositi conabor vobis altius proferre mysterium .

Nullum puto AA. tanta mentis hebetudine laborare , tantumque judicio jacere , ut rem , in qua versamur , cortice tenus explorans , nihil in ea deprehendat , nihil compleetur , præter hanc amplissimam pompam , quam , oculis subiectam , conspicimus ; nam sicuti hujuscce divini consilii altius repetendum est principium , ita & in Rege nostro ejusdem rei causas , finesque ulterius vestigare debemus ; propterea , ut disertè monet Augustinus ,

sicuti proprium Divinitatis est , unico suæ Infinitæ mentis consulto omnia prospicere , omnia provide-re , ita quandoque unico verbo , unico externo ope-re , etsi non omnia propter nostræ mentis imbecil-litatem , attamen plura explicare , plura facienda imperare , plura addiscenda monere , compertum est Exquirenti ; Haud enim religiosè teneremus , si divinæ mentis , quæ nobis proponuntur oracula , post unicum conceptum putaremus effœta . Ex hominibus igitur , qui divinæ mentis propriùs putandi sunt participes , profectò sunt ii , qui speciali Divi-næ providentiæ consilio ad eam devenerunt dignita-tem , ut absoluto imperio ad homines regendos sint destinati ; par enim est , ut Reges , quibus Deus in terris sui summi imperii concessit vices , Ipsi quo-què in moderando , quoad fieri potest , assimilen-tur ; characterem igitur quodammodo Divinitatis in fronte Regis Deus obsignat , quo homines ad amorem , timorem , & obedientiam , humana veluti Religione , trahantur . Revocate quæso animum ad Regis nostri avitam Pietatem , Moderationem , Justitiam , Æquanimitatem , & comperietis , ipsum supra quoscunque alios Divinam præferre simili-tudinem , ex qua tanta sui nominis pace , bel-lo , legibus , victoriis increbuit fama , ut provin-ciæ , & Regna , ultrò se ei subjicere , felicitati ascri-bant ; si ita res est , ut nosmet ex nupera nostra acclamazione fateri debemus , quis inficias ibit , ipsum esse supremi Principis veram ideam , Divini-que Imperii lucidissimum exemplar . Si hoc fortas-se à vero deflectere , quis opinabitur , & oppidò ,

quam

quam par sit, me ostentum proferre putet; prætereat  
 mecum innumera. Hodiernum solum fune-  
 brium longum ordinem pomparum satis superque  
 demonstrare, Divinitatis eum Iimagine præferre  
 expressiorem, fateatur oportet; Hic unus dies  
 emortualium cæremoniarum annosæ quoquè ætatis  
 absorbet gesta, et si præclarissima; neque hoc nos  
 exploratum habebimus, nisi in hac funebri pom-  
 pa, procul à vulgari sententia, exquisitum Regis  
 nostri aperiamus molimen. Putant vulgares homi-  
 nes fortasse, hodierna luce aliud non fieri, nisi ut  
 gloria, quam incomparabiles viri Joseph Capycius,  
 & Carolus de Sangrio sibi compararunt, in nobis  
 refricitur, quippe qui veræ virtutis emensi stadium;  
 ad supremas laudes feliciter pervenerunt, ut horum  
 glorioso exemplo Posteritatem non pigeat, eorum  
 amplecti imitamenta: hoc quidem detrectandum  
 non est. At verò qui hujus novitatis penetralia su-  
 bbit, & bonæ voluntatis affectu, ut par est, judi-  
 cium proferre voluerit, procul dubio completum  
 deprehendet, illud Divini Spiritus, apud Petrum, Ora-  
 culum: Subjecti estote Regi, tanquam præcellen-  
 ti, Ducibus, tanquam ab eo missis ad LAUDEM BO-  
 NORUM: quod Sacri Codicis monumentum undique  
 quadrare videtur Regiæ menti, quæ in hac regali  
 funebri sollemnitate extremum duorum Civium  
 diem, summis cumulandum præconiis, exquirit, qui  
 animi fortitudine, suorumque gestorum memoria  
 patriam cohonestarunt. O nos Beati, felicissima  
 terrarum orbis Civitas, si tanti Regis vestigiis inhæ-  
 rens, egregios sibi cives, illustria facinora, æquis  
 hono-

honoribus exornanda constituit. Quam quæso Di-  
 vinitatis Imaginem mortale hoc nostrum proferre  
 potest expressiorem præ ea , quam Regis nostri  
 Animus , gesta , atque conatus , nobis in suæ mo-  
 derationis vestibulo conspicuam ; tam vividè adum-  
 brarunt , dum tot Populorum regimina , hisce fun-  
 damentis , apprimè jaëtis , firmando esse , censuerit .  
 Atque id quidem ex hoc uno Dignitas vestra , Sa-  
 pientissimi Proceres , agnoscat , quod , et si cui sub-  
 tilius disputari videbitur , apertius rem concludere  
 fateatur , necesse est . Id enim omne , cui Deus to-  
 tus est , sive ut æternæ fœcunditatis Principium , sive  
 ut ejus , quod temporis aptavit , Causa , ineffabilis laus  
 est Bonitatis : iccirco Regius Psaltes neminem inven-  
 it , nedum qui loquatur Potentias Domini , nem-  
 pe quæ facere potest Deus , sed neque qui auditas  
 faciat omnes ejus laudes , omnia videlicet opera ;  
 quæ meritò laudes nuncupare videtur ; opus enim ,  
 quod est undique bonum , laus est Bonitatis ; Deum  
 igitur , quām simillimè exprimimus , cum id , quod  
 agimus , laus est Boni . Nil ergo nobis optabilius  
 evenire potuit ad virtutis incitationem , qua sola  
 Duce homines veræ laudis apicem attingunt , nisi  
 quod in Principe tantus semper crescat Bonitatis  
 ardor , ut ejus cursus nulla cura , vel publica , vel  
 privata præpediri possit , quin omnia ad BONORUM  
 LAUDEM exquisita pervenerint . Et sanè auspicatò  
 credendum est Regis nostri cœptum , si Bonorum  
 laudibus intentus , erga Sangrium , & Capycium pri-  
 ma sunt ejus meditamenta . Evidem si Carolum  
 de Sangrio attendas , nil potuit Regiam indolem ,

ad

ad laudem Bonorum pronam, morari, quin inter innumeros suæ ditionis laudabiles Viros, Carolus de Sangrio hac Regis benevolentia potiori jure fruatur. Sanguine enim clarus, ingenio excellens, virtute consumatus, eò sui gloriosum depinxit simulacrum, ut nil desit, quod in ipso admirentur præsentes, nihilque, quod posteri imitantur. Ex Parentibus inter Majores, Potentiores, ac Meliores natus, educationem fortitus est diligentissimam; vitam duxit honestissimam, mortem oppetiit constantissimam, at melius in civium memoria vivit Veneratissimus; quando quæso nostro animo excidere poterunt incomparabilis Caroli gesta præstantissima? Vix enim quinque suæ ætatis compleverat lustra, Gnarus, sibi Patriam, pro animi sui robore nutriendo, nunquam opportunam fore, & militiæ, quam deperibat, nunquam occasiones naturum, patriæ oblectamentis, domus commodis, aunicorum officiis nil præpeditus, Cæsaris Aulam adiit; tunc præcipue cum bellum turicum in Pannonia cervicibus Christianorum minabatur, ibique primum militiæ nomen dedit. Utinam d Cives hoc Caroli ingenium speculum foret iis, qui molliter nutriti, apud maternos lares puellascunt, & patriæ abscessum, veluti ostentum horrent; possunt homines pro lucris, & quæstibus faciundis maris, terræque periculis vitam prostituere; debent igitur, & saniori consilio, pro gloria his majora arripere, veluti Carolus de Sangrio, qui tredecim annorum curriculum in bello pannonicō eò consilii in providendo, celeritatis in confiendo, industriæ in agendo, ac forti-

fortitudinis in expugnando , vel propugnando , felicititer traduxit , ut nequaquam sentiam in me tantam ingenii ubertatem , vel dicendi copiam , qua possim , universa ejus in Rempublicam Christianam militiæ munere promerita , nedum orando complecti , sed nec percensere numerando . Sub felicissimo Lotharingiæ Duce inter Volones milites primùm adscitus , ea indefessæ strenuitatis in celeberrima Budæ expugnatione prima edidit gloria specimina , ut in una Equitum Loricatorum legione Dux fuerit statim renunciatus . Tantam quoque in memoranda Turcarum apud Pontem Esekum clade gloriam sibi comparavit , ut in Transylvanos pugnaturus destinatus , iisque feliciter subactis , Primi Statoris munus in eadem legione promeruerit . Ea est sors belli , vires viribus addere , facilis provincia , parta gloria majoris fortitudinis sibi parat incrementa , quod enim laude excrescit fama , èd vegetior subit animus ; hæc quanvis omnibus obvia , releget tamen quisque in Carolo de Sangrio , cuius militare robur sub Duce Bavariæ in Tauruni expugnatione , tam nova sensit incrementa virtutis , ut Tribuni militum Loricatorum Legatus fuerit itidem à Cæsare renunciatus . Neque imparia sui roboris fuerunt ea , quæ gessit in Bulgaria sub Principe Badensi , cum in nova Turcarum clade , tñm in expugnatione quamplurium illius regionis urbium , quarum custodia in hybernis probatæ Caroli fidei , ac experientiæ fuit demandata . Haud tamen eandem felicitatem nostræ copiæ insequenti anno senserunt ; nam hostibus maximo numero irrumpentibus , adjunctis Oppidanorum

rum auxiliis ; & urbes , in Bulgaria subactas , amiserunt , & deplorabilem Tauruni jacturam fecere . Admirati usque modò estis Caroli militare robur , amplior vobis datur ansa , ad ejus æquanimitatem commendandam , qua , & illius Provinciæ damnum altiori spe consolabatur , & suarum jacturam sarcinarum viriliter contempsit . Placuit tamen Cœlitibus , qui non sinunt usquequaquè armorum justitiam deseriri , ut deinde sub eodem Principe Badensi nullus fuerit modus Turcarum cædibus ; quarè deleta omnino barbara illa Gente cum suo , quem vulgò dicunt , Primo Visire , Cæsareæ acies internicium bellum certarunt , nec non impedimenta quæque , ipsorum castra , omnemque rem tormentariam , adjunctis opulentissimis promptuariis occuparunt . Hujus tam insignis victoriæ fama , ut ad Cæsaris aures pervenit , & ut insignem quoquè Caroli operam in hoc conflictu cognovit , speciosissima aureæ clavis equestri dignitate ipsum insignivit . Immensum , & prope infinitum , quod Patriæ debemus , nunquam possumus gratiis cumulate reperire ; Parentes charissimos , Vitam , Patrimonium , Honores , quibus nil nobis potest esse jucundius , solidi Patriæ debemus ; unum superat , quo hæc , & majora rependere possimus , gloriose nempe gestis patriam illustrando . Quò igitur altius unius Caroli virtute Neapolitanum nomen in Germania ferebatur , ed se arctius præstantissimo Civi devinctam , communis patria fatebatur . Non fert animus patientiam vestram pluribus morari , nec laxius mihi tempus ; nec longius proferre sermones , concessum

B est;

est; nam si meæ , erga incomparabilem Carolum, indulgentiæ , vellem facere satis , deberem fusiori oratione ad memoriam vestram revocare præclara, quæ gessit in Varadini ditione , pro Tauruni recuperatione , sub Duce Crojensi frustrà tentata , in Patervaradini expugnatione sub Comite Caprara , quantis insuper se insigniverit sub Electore Saxonia in Transylvania post luctuosam eam cladem , quam nostræ phalanges sub Comite Veterano sustinuerunt . Ardua , quæ molitus est in obsidione themeswari , cuius perpetuæ munitiones , ac operosæ hostium machinationes Nostrorum impetus , non sine tamen diffcili negotio , propulsarunt . Cogor demum , quanvis invitus , silere , quantum improbi laboris insumpserit sub Faustissimo Principe Eugenio Sabaudiæ , præcipue in ea sanguinolenta Turcarum occisione , in qua ed gloriæ nostræ ventum est , ut non solum Primi Visiris cæde , sed & opprobriosa quoquè Turcarum Imperatoris fuga , fuerit ob-signata ; donec tandem hostes , præ tot bellorum adversis eventibus laxati , inducias à Cæsare impeartrarunt , quibus initis , tredecim annorum exantlatos Caroli labores , amplissimo tribuni militum honore ; titulo , ac expectativa , ut vocant , Cæsaris munificentia decoravit , adjectis pro eo munere consuetis stipendiis , quibus solis contentus , hostium exuviis parcere , ipsi erat sollemne . Nulla tunc igitur in Pannonia evenerunt ardua belli facinora , quibus corpore , & animo non adfuerit Carolus , quem exterrere non valuit , semel in capite , iterumque in aure sinistra graviter ab hostibus vulnerari , eten-

nim

nim quia in eo bello vitam consecrare , pro religione putabat , vulnera suscepta , ad majora arripienda , fuerunt irritamenta . Cœlesti tamen munere factum puto , ut è tot , tantisque in eo bello suscep-  
tis periculis , vivus Carolus evaserit , ad majora servandus pro suæ patriæ felicitate , quam non pri-  
vato studio , non incertis rumoribus adactus , sed suprema Jura vindicaturus , moliri pro viribus cœ-  
pit ; quod equidem , et si fortius aggredi , quām felicius absolvere potuisse , ostendit eventus , non au-  
daciæ sanè , sed potius temporum iniquitati verten-  
dum id esse , non est qui nesciat : infestior enim vis , vehementi illius temporis acta cupidine , vo-  
lucrem sententiam hominibus sæpius subministran-  
te , longè aliter , quām belli jura paterentur , decer-  
nendum , adnixa est : quapropter consiliis , re infe-  
cta , patefactis , violenter arreptus , hostilem manum  
æquo animo tulit ; imperterritus tamen , quan-  
vis & inauditus , pro patriæ meditatum propitio-  
ri commendans consilio , magna sui nominis glo-  
ria , magna erga Æternum Numen religione ,  
potentioris gladii licentiam fortissimo pectore susti-  
nuit . O Christianam Caroli Constantiam , quæ  
mortis superans trepidamenta , nec mortem , nec  
genus sensit mortis . Horreant sanè mortis spectrum ,  
qui proprium fœdatæ vitæ nomen sciunt , fore sui  
funeris Præconem ; sentiant mortis terricula , qui  
pollutas sui Posteris relinquunt imagines ; at verò  
qui conscientiam benè actæ vitæ , multorumque  
benefactorum recordationem sentiunt jucundissi-  
mum , veluti Carolus Sangrius , mortem ipsam à

corporis servitute gratosam putant manumissionem. Hoc unum minimè reticendum. In extremis suæ mortis angustiis, in eo luctuoso discrimine, in quo & fortissima pectora opplentur pavoribus, invictus Carolus, totus Deo, totus suæ animæ, Religiosis Deiparæ Redemptionis captivorum Sodalibus, quos Viennæ colebat, sui peculii partem ultimis, ut potuit, properatis tabulis, legavit. Non nova tamen Illustrium Sangriorum erga Sacra loca liberalitas, cuius enarrent alii, & laudent innumera, quæ sentiunt, exempla. Ego quas in meo Ordine hujus Illustrissimæ Gentis ampliores conspicio munificentias, ingrato silentio præterire non debeo. Recolendæ memoriæ Oderisius de Sangrio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Casini Abbas amplissimis Toparchiis idem Monasterium donavit: Oderisium imitatus prope finem undecimi seculi Comes Berardus de Sangrio, & ditissima latifundia adjecit. Haud tamen mirum, nam si Sangriorum soboles, postquam ab Arnulpho Burgundiæ Duce recisa, Italiam cœpit illustrare, ob præclara ejus gesta, & fœdera cum Principibus Longobardis obtinuit, non solùm amplissimum Marforum Comitatum, verùm etiam omnem illius regionis tractum, quem alluit Sangrus, à quo familia hanc novam nomenclaturam accepit, æquum fuit, ut Deo, universæ Terræ Domino, aliquid sui amplissimi Patrimonii consecraret. Avitam igitur gloriam, & munificentiam Sangriorum, & ære, & sanguine Carolus non obsignavit, sed veluti à Posteris omni ævo refricandam, voluit renovatam. Sed hæc

hæc quanvis illustria , omniumque Gentium admiratione digna videantur , haud tamen imparia , & æquè omnium linguarum vocibus celebranda , sunt ea , quæ nostra ætas in fortissimo Josepho Capycio est admirata : unde jure factum , ut Regia Pietas , quos agnovit virtute Pares , paribus quoquè voluerit honoribus insignire . Non hic clarissimas Capyciorum laudes commemoro , neque hujus Illustrissimæ Gentis gesta percurrere , animus est : longum enim esset , & ab instituto alienum , unam , quæ , octo jam sæcula magnarum undequaque virtutum curriculo emensa , Ecclesiam , Patriam , Italiam omnem gloriosis facinoribus , quæ pace , quæ bello complevit , continua gestorum serie vobis referre ; nec meum est quicquam addere famigeratis monumentis , quibus eam exornarunt tot omnigenæ historiæ Scriptores . Quem enim , si optio mihi fieret , possem vobis ex innumeris Capyciis illustriorem Corrado Virum commemorare , quem inquam Berardo celebriorem . Primus equidem Atripaldæ , aliorumque oppidorum Dynasta , pro Manfredo , ac Corradino Siciliæ Moderator , tam constanti erga suos Reges fide , ac strenuitate Neapolitanum Regnum invasit , ut Gallorum imperium in summum adduxerit discrimen . Alter ex Hierosolymitanis Equitibus Melitensem Insulam , obsidio cinctam , in libertatem afferuit ; quæ , & clariora in hac Sacra Æde pro Gentiliis , æterno Civium documento , patescunt . At vetera hæc , & his majora mittimus ; non enim , ut , vel virtutes , vel erga Germanos , Austriumque Genus Josephi Capycii indolem , vestigemus , majorum

rum titulos ; vel imagines recolere opus est ; sat  
 erit , ut id assequamur , ejus gesta , immortalitate  
 donata , summo velut digito leviter attingere . Acre  
 quidem , quod natura habuit , semper excoluit  
 ingenium , memoria adeò firma , & diurna , ut in  
 rerum oblivionem raro incideret , & quod multò  
 magis est admirandum , Hispano , & Gallico idio-  
 mati theutonicum brevi temporis intervallo scitissi-  
 mè addidit . Bonarum artium , ac literarum studiis ,  
 latino , Italoque sermoni intentissimus , adeòut non  
 sine animi mei voluptate , vix adolescentiam Emen-  
 sum , sèpius audierim de his omnibus acutissimum  
 depromere judicium . Res politica ipsi familiaris ,  
 quarè in meliori historia eruditus Amicorum con-  
 ventus lepidè concinnabat . Hæc in Josepho Capy-  
 cio ingenii promptitudo , & facilitas , cæterùm hæc  
 omnia animi fortitudo superabat . En Cives , quan-  
 topere literarum exercitatio , non modò ornatu No-  
 bilem Virum compleat , sed & animi robur , quām  
 maximè excitet , ac firmet . Indole equidèm abra-  
 sa nascimur , ea tamen nativa fœcunditate , ut quo-  
 tidiano grava femeine Idearum , quas mens ipsa ,  
 Divini luminis facula , vi cogitationum implantat ,  
 ejus reddat naturæ fructus , quos ex seminibus  
 concepit , quo fit , ut si forte hanc vim nostri ani-  
 mi Illustris Sanguis veluti insuccaverit , ex arcto ,  
 reciprocoque Spiritus , & Corporis respectu , quis  
 abnuet , eò impensiùs excitari virtutum formas ,  
 quòd nobiliores traxerunt in nascendo propagines ?  
 Tanta igitur literarum venustas Josephum Capy-  
 cium eò pellexit , ut ipsis libenter indulgens , & ex-  
 poli-

politam sui reddiderit mentem , & ad fortē animum sibi comparandum , quammaximē adjuverit . Injurii igitur profectō essemus , si ipsi tantum non impertiremur laudis ; quantum fortissimo , & sapien-  
tissimo homini debetur . Præ cæteris itaq̄e satis exploratum habuerat , animum ad pericula para-  
tum , si sui cupiditate , non communi impellatur utilitate , nullam fortitudinis gloriam , sed potius audaciæ notam referre . Ea namquæ animi elatio , quæ cernitur in periculis , ac laboribus , ne in vicio sit , nec justitia vacare , nec pro propriis commo-  
dis , sed pro communi salute pugnare debet . Hanc genuinam fortitudinis Ideam Josephum Capycium animo suo semper retinuisse , satis indicavit extre-  
mus ille exitialis dies , quo furentis invidiæ insidiis lacesitus , ingenuo pectore , quanvis immaturo fa-  
to , pro communi Patriæ bono , gloria occubuit morte . O post Hominum memoriam cordati Civis præclarum specimen ! ubinam Gentium tam glorio-  
sè , tam severè fuit unquam patriæ litatum ? Si ex-  
tinctum dolemus Civem , cuius vita sociam habuit virtutem , mors comitem gloriam , quis erit tam du-  
ri cordis , qui nostrum non compatiatur cordolum ? Nam si quandoquæ humanæ indulgendum est imbe-  
cillitati , ut obitum eorum , quos charos habemus , consolari conemur , vel funeris curatione , vel sepul-  
ture humanitate , vel pompa exequiarum , quæ magis sunt solatia Vivorum , quam subsidia mortuo-  
rum , potiori connivēntia hæc , & majora sunt to-  
leranda , si forte bonæ expectationis juvenis in ipso adolescentiæ flore morte rapiatur acerba ; parcen-  
dum

dum est itaque, si tunc planctus, gemitus, lamenta, querelæ circumsonent; nam si in cæteris adversis non commoveri, constantiæ laus est; hujusmodi tamen funeris acerbitatem non flere, non fortitudinis indicium, sed potius stupiditatis est vitium. Quis enim meritus Civis siccis oculis pati potest patriam afflictam, jacentem, ac prope fractam, hoc est, Bonæ spei Juvenem, vita defunctum, nisi fortasse pro suæ Patriæ commodis augendis, vel saltem exoptandis, omnem deposuerit grati animi Benevolentiam? At hæc, quamvis sic comperta teneamus, si tamen rationis ductum sequi velimus, non est, cur nos Josephi Capycii mortem lachrymis, vel alio demulceamus solamine; nam quanvis præprospera ceciderit sorte, sempiternum tamen, quod optimi Civis, reliquit monumentum, senectam jam prævenit ætatem. Ad quod quæso majoris laudis fastigium unquam pervenire potuisset, etiam si ultimam senectutem, nunquam interruptis benè gestis, obsignasset? Amor ille, quo patriæ felicitatem deperibat, nonne superat quotquot hominum celebrari possunt probatissima molimina? Amare equidem, si terrenum sapit, res est miserrima, tritum, & familiare loquor; ad id non duciur, sed trahimur, licet voluptate, quæ etsi animum demulcere videatur, re tamen ipsa, molestia est gravissima. Boni enim, quo caremus, cuique conjungi cupimus, ardore excruciamur. Quis igitur ultrò tot, tantisque velit se immiscere cordis erumnis, nisi sui tantum concupiscentia inflammatus? commendant iccirco sapientes Viri amicabilem amorem supra eum, quo vel nos, vel nostra

nōstra diligimus compendia, & jure merito; amicus enim nulla sui, sed tantum alterius gratia; hanc durissimam amandi sustinet conditionem. Jure igitur majori merito commendabilis est amor, quo Josephus Capycius suæ patriæ inhiabat felicitati; Perfectissimo etenim illi prope modum assimilatur Amori, qui, juxta Augustinum, non æstuat indigentia siccitate, sed magis profluit Beneficiæ ubertate. Quantam igitur laudem promerentur ii, qui Cives, Sacra, Aras, Leges, Libertatem, Fasces, Magistratum, Forum, Agros, Fruges, uno verbo, qui Patriam amant, tantam quæso, ne fortissimo vestro denegetis Capycio, qui tam vehementi erga vos, & Patriam exarsit amore. Amor patriæ in nostro Juvene iterare pepulit, periculis undequaque plenos, Germaniæ accessus, Viennensem Cæsarialis Aulam frequentare, & nec sibi, nec suis fortunis parcens, majora, quæ potuit, pro patriæ felicitate enixe tentare. Quanti verò ponderis fuerit Josephi Capycii erga Patriam Beneficiæ studium, ex hoc uno, ut cætera mittatis, A.A. penditote. Arbitraremi- ni fortasse, dum Gloriosissimum Cæsarem felicis memoriæ Leopoldum audistis erga Capycium Benevolentiorem, hac arrepta occasione, vel sui, vel suorum ipsum inhiasse fortunarum incrementis; haud equidem; sed Patriæ amantissimus, pro Patria solùm supplices porrexit preces, easque favoribus præcipuis, gratiis, ac beneficiis à Cæsarialis munificentia aspexit cumulatas. Macte virtute optime Civis, quid ultrà exoptas? tutè dormias; breve equidem Vitæ curriculum invidia tibi circumscripsit, immensum tamen Gloria, qua inter Majores tuos veluti nitidissimum splendes

Astrum. Fortissimis quibuscunque ad hanc diem Viris insignem sui temporis Neapolitanum Catonem, celeberrimum, inquam, Marinum Capycium, inter tuos Majores quam maximum, vel certe exequandum; vel omnino præferendum censuimus, sed tua virtute, tuisque gestis superatum; fateamur, oportet. Ille etenim, cui Caroli Primi Andegavensis victrix causa non placuit, sed magis victa Corradini, in ea luctuosa tanti Regis clade, fortunis omnibus spoliatus, vitam tamen servans, tutum Germaniae adivit asylum. At Tu & fortunis, & vita orbatus, pectore invictissimus, inclyto tuo Regi Regnum affectasti. Tanta igitur, quæ ex re ipsa uberioris magis defluxisse, quam Oratoris arte eloquentius emersisse, cognoscitis, augustam quidem Ipsorum in nobis gignunt Ideam, prægrandem conciliant venerationem, inclytum redundit eorum nomen, & famam; non adhuc tamen ipsorum gloriae apex, non laudis culmen, non encomiorum fastigium satis decorari videtur. Supereft vel in nostris præclarissimis Viris, laus supra omnes, laudes commemoranda. Si fas effet, & non vererer, ne putaretis, me velle eos Apotheosi donare, libenter, ac tutè ipsis permitterem, quod Tertullianus quondam, Christianorum Tyrannos objurgans, pro Sanctis Martyribus sic fatebatur: Ne quicquam proficit exquisitor quæque crudelitas vestra, Plures efficiuntur, quoties metimur à Vobis, semen est sanguis Christianorum; quod equidem nostris eximiis Viris undique appendi posse videtur. Nam cæteri hominum, quavis fortitudine præditi, non militum turmas possunt vincere, nec gestorum semper exerere spectacu-

Etaculum, neque suæ fortitudinis possunt quovis tempore depromere facinora, aut referre palmas, vel triumphos decantare. At verò Sangrii, & Capycii sanguis semen est triumphorum, semen est fidelitatis, semen est palmarum. Ipsorum etenim constantissimæ mortis recordatio sanè non hominum corpora profligat, non cum hostibus congreditur, non coram experitur, sed magis strenuè, ac insueto modo superat fortissimos animos, quotquot sunt, hominum, in Amplissimo Regis nostri dominatu. Nanquè ausim dicere, si forte in nobis deficeret is, quem cum luce hauimus erga clementissimam Auctiorum sobolem, obsequentissimus amor, sola recordatio sanguinis, quem nostri præstantissimi Viri, pro Rege, Patriæque felicitate, fuderunt, fatis esset, ad quævis ardua pro tanto nostro Principe arripienda. Tanti enim est virtutis recordatio, ut ejus pulcherrima species, & animum inflammet, & ad imitamentum alliciat. Quod res ita sit, Vos, qui unà mecum funeri astatis, testes volo, fortissimi Cives. Quoties vobis Capycii, & Sangrii occurrit phantasma, nonnè veluti impatientes velle-tis, quævis gravissima pericula subire, hostium turmas perdere, legiones metatas exturbare, glomeratos ageres æquare, Cohortes, vel fundere, vel exarmare, Dominatus fines prolatare? id vos omnes velle, præstitus virtuti honos, fateri, compellit. Quoties ad eorum constantem fidelitatem animum advertitis, nonnè minimi faceretis; fortunas, domus, fasces, natos ipsos, ipsam vitam pessum ire, modò cuncta ad Regis nostri felicitatem colliment? me velle confiteor, nec me coram hoc vos renuere, fas est; vultus vestri an-

xii, dum hæc commonefacio , aures arrectæ , oculi intenti , silentium , quo sitienter auscultatis , satis , indicant , Sangrii constantiam , Capycii fortitudinem eō vos delectare , ac animum voluptate titillare , ut in vobis sentiatis , erga tantos Cives amore concuti; ac eorum æmulatione interius excitari. Desinat igitur nostrorum Civium , vel laboribus , vel Regiis , ob tantos labores, honoribus, invidere , qui , non æquis virtutibus præornatus , talia peregisse , molestiùs admiratur. Nec suadentem contemnat ; præstantissimorum potius Civium inhærere vestigiis , atque eos , qui constantissimo ob patriam interitu invidiam superarunt; imitari nōn prætermittat ; nec tædeat , dum funebria contemplatur , vel sanguinem intueri ; sanguis enim eorum semen profecto est , quo in nobis erga Sapientissimum Regem nostrum CAROLUM semper germinent amor , devotio , fides . Et quidem jure meritò ; quando , quæso , A. A. excogitare poteramus tantum erga nos Regiæ Magnanimitatis indicium , ut antequam Neapolitanorum terras occuparet (occupaverat jam longè anteà animos , corda , & pectora ) prima inciderit cogitatio , dignos , præstantesque Neapolitanos maximis honoribus cumulandi . In primis ejus ad nos missis epistolis , nulla de propriis commodis mentio , nulla de iis multis , quæ novis imperiis veluti leges præscribuntur inviolabiles , sed quia erga nos totus , hujus publici funeris institutio , placuit , ut esset regnandi initium ; & primum suæ Beneficentiæ specimen . Eja agite concives , & luctuoso , cui adestis , officio , fas sit , & animi gaudia congeri-  
nare . Quid enim , per vestram fidem , Deus optimus maxi-

maximus nobis potuit concedere suavius, quam Regem, qui totus intentus fit ad LAUDEM BONORUM; hoc satis est, ut in omni suo dominatu virtus quotidie invalescat, vitium arescat; plurima enim vident, ut sperent Boni; vel eadem argumenta sunt, ut perhorrescant mali. Clarissima hæc igitur, & præstantissima, quæ primoribus labbris libavimus, Regi nostro Præcellenti (ut Divini Otaculi verbis utar) felicem utique nostram commendant subjectionem; at verò nunquam satis celebrabitur ejus sedulitas, qua ad LAUDEM BONORUM summos Viros misit Duces, in quibus morum candor, officiorum suavitas, comitas, affabilitas, vitæ probitas, erga fontes severitas, in rebus agendis promptitudo, & dexteritas, & Regiam extollunt ad LAUDEM BONORUM missionem, & nominis nostri gloriam quam maximè decorant. Felix igitur Josephi Capycii, & Caroli de Sangrio memoria, si præ cæteris, quæ feliciter obtinuerunt, id quoquæ accessit, ut, ad ipsorum laudes celebrandas, amplissimis Regis Epistolis excellentissimum sortiantur Principem Wirricum de Daun, S. R. I. Comitem, ac militum Tribunum, Aureæ Clavis Equitem Auratum, Rei tormentariæ pro Cæsare Præfectum, ac unius peditum legionis Chiliarcham, nec non pro Catholica Majestate in Regno Neapolitano Archistrategum, ac Proregem Vigilantissimum. Tanto Viro, tot titulis, imò tot titulorum meritis Clarissimo, hujus publici funeris, veluti postliminio reddituri, concredita est provincia, nec immerito: res etenim Magna maximo inter Duces debuit esse curæ. Neque inauspicatò tanti Ducis missionem factam puto. Etenim si Carolus de Sangrio,

& Jo-

& Josephus Capycius, gloriofissimam nēcem pro patriæ felicitate occumbentes , felicem tamen patriam non aspexerunt ; æquum est , ut ipsis justa parentalia restituat Comes Wirricus , qui felicitatem patriæ restituit : quod , ne quorundam mente fortasse excidere contingat , quò temporis edacitas non pertingit , ac ne longinqua comminemorem : sola propugnatione Augustæ Taurinorum , Gallorum exercitu , tum maximo apparatu , tum Imperatorum fortitudine , robore militum , splendore armorum potentissimo , diù obseßæ , de Wirrici nomine nulla unquam ætas conticescet . Ex Taurinorum etenim eventu , ut res docuit , non modò Transpadanorum , sed & totius Italiæ , imò & meliorum Europæ Provinciarum casus pendebat , vel libertas . At fortissimi Wirrici robur , virtus , auctoritas , felicitas , fusis Gallorum copiis , & Cœlitibus faventibus , communes timores abegerunt , nosque nova Regis nostri Caroli inauguratione pristinæ reddiderunt felicitati . Nil igitur vobis , Constantissime Carole , Josephe fortissime , in hoc honorario funere defuit . Adfuit sacerdotalis expiatio , Regis Pietas , Wirrici sollicitudo , Civium plausus . Una Oratoris defuit industria .

*In Templi Vestibulo.*

CAROLO SANGRIO

E T

JOSEPHO CAPYCIO

QVORVM

IN AVSTRIAM DOMVM PIETAS CONJVNXERAT ANIMOS  
ET RES ADVERSÆ INFELIX GENVS MORTIS AEQVARVNT

IN HOC TEMPLO

VBI FORS TVLERAT

VT IN FAMILIARIBVS SEPVLCRIS OSSA CONTEGERENTVR

REGNO SEX POST ANNIS PARTO

CAROLVS III HISPAN. ET NEAP. REX

PIETATE PIÉTATEM COMPENSANS

VNO FVNERE PVBLICO

JVSTA SOLVI MANDAVIT

PRO FORTVNA LACHRYMAS ET PRO VIRTUTE LAVDES

FVNDITE MERITAS

CIVES



65

## CHRONOLOGY

### CHRONOLOGY

#### CHRONOLOGY

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

#### CHRONOLOGY

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

### CHRONOLOGY

#### CHRONOLOGY

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

#### CHRONOLOGY


##### CHRONOLOGY

THE CHRONOLOGY OF THE BIBLE

*In Tumuli Temporarii basi, qua Templi  
Valvas spectabat.*

CAROLO SANGRIO

E SANCTOLVCIDENSIVM MARCHIONIBVS  
APVD LEOPOLDVM AVG. F IDE PRAECIPVO ET IN  
BELLO PANNO N. VIRTUTE MILITARI IN PRIMIS PROBATO  
QVOD SANGVINE CVM VITA PROFVSO NEAP. REGNI  
VINDICIAS CAROLO AVSTRIA CONFIRMARIT  
PIENTISS. PRINCEPS VBI PRIMVM NEAPOLITANOS  
IN DITIONEM ACCEPIT A PIETATE IN MERITVM  
DE SE CIVEM REGNVM IN AVSPICATVS EX REGIO  
AERARIO HOC FVNVS REGALI QVAM SPECTAS  
MAGNIFICENTIA INSTRVCTVM A FORTISS. VIRO  
WIRICO COM. DAVN. SVMMO GERMAN. EXERCITVS  
IN EXPEDITIONEM NEAP. DVCE TVM VICARIO  
REGNI MODERATORE CVRANDVM INDIXIT



*In ejusdem Tumuli basi e regione  
Altaris.*

JOSEPHO CAPYCIO


E ROFRANENSIVM MARCHIONIBVS

JUVENI IN CAPESENDIS CONSILIIS MAGNANIMO  
IN PERICVLIS SVBEVNDIS IMPERTERRITO FIDE  
TACITVRNITATE, CONSTANTIA SATIS SPECTATO  
CVJVS DVM REGNUM NEAP. CAROLO AVSTRIQ  
PRINCIPIVNDICARE T ADVERSA FORTVNA  
INCOEPTVM OPPRESSIT NON ANIMVM, VT QVI  
VNVS CONFERTO INFESTOQ. ARMATORVM GLOBO  
CIRCVMDATVS CEDERE NESCIUS LIBER OCCVBUIT  
STVDI IN DOMVM AVG. ET VIRTVTIS ERGO

SVPREMA OFFICIA



*San-*



**S**anctius bos cineres, prae quam Agrippina ferebat  
Casta viri, CAROLUS mente per arma gerit.





**E**xtruit immo piis majus Rex Mausoleum;  
*Quos merito ut tumulet, maxima Regna parat.*




Rex




**R**Ex vere Aeneades pietate insignis, & armis,  
Seu manes placat, seu pia bella gerit.



Caesa-



**C**AESARIS ast ales Regina, Jovisque ministra  
Verius ex isto funere surgit ovans.



Sat



**S**at Capyn egregia virtute Capycius Heros  
Afferit Auctorem, Dardaniumque genus.



Indi-




**I**ndiderat Genti Auctor dignum a sanguine nomen:  
Nam clarum Nati sanguine nomen habent.



Con-




**C**onstanti obtutu immense praeclara tueri  
Patria sic virtus format utrumque virum.



E

Clar-



**C**larius ut splendet jubar inter nubila Solis,  
*Adversis virtus sic nitet ista virum.*




*Non*



**N**on secus istorum virtusque, fidesque virorum  
Hoc magis alta petit, quo magis alta cadit.





**S**umma hyeme exhorrent plantae, mox vere virescunt:  
*Fortibus oppressis moxque redibit bonos.*



*Pro*




**P**ro patria gnatae vitam devovit Atrides:

*At caput hic Regi vovit uterque suum.*




*At*




**A**t fato meliori istorum ex sanguine Cives  
Unanimes Regi, proveniuntque pii.



Pol-



P Ollucis quoque erat quae dicta est Castoris AEdes:  
Fit quoque Josepho jussus bonos Carolo.





**N**obile par Juvenum band aliter descendit ad Orcum:  
*Nec minus ad superos clarus uterque redit.*






FIDE, ET ARMIS  
FUNDANTUR;  
PIETATE  
AUGENTUR  
REGNA DIU DURATURA.



F OFFI-



OFFICIA CIVIUM  
PRINCIPEM  
BENEFICIA REPUTARE;  
ID EST  
MAGNO ANIMO GERERE PRINCIPATUM.




UBI



UBI  
 PRINCEPS PRAESIT  
 BONORUM CIVIUM PIETATE GRAVIS;  
 IBI  
 BONORUM OMNIUM,  
 EST REGNUM.






176

CIVIBUS,  
NON SIBI REGNAT  
LIBERALIS, ET MUNIFICUS PRINCEPS.




VI-



VIVIS  
REFERRE GRATIAM,  
PUDORIS;  
DEFUNCTIS VERO,  
EST  
ANIMI VERE GRATI.



SU-



SUPREMIS OFFICII  
 MERITORUM MANES VIRORUM  
 PROSEQUI,  
 . . . . . EST  
 VEL INFERIS  
 LIBERALITATEM INFERRE.



NUS-



NUSQUAM LICET  
 SINE FRUCTU ALIQUO GRATUM ESSE:  
 UT NEQUEAS  
 VEL SURDO DEFUNCTORUM CINERI  
 REFERRE GRATES;  
 QUIN VIVI  
 AD BENE DE TE MERENDUM  
 EXCITENTUR.





PUBLICA PRAEMIA  
SUNT  
PRECIA,  
QUAE  
VIRTUTIBUS STATUIT PRINCEPS.



PRAE-



PRAECLARE INCOEPTUM  
VIRTUTI,  
EFFECTUM DATUM  
FELICITATI  
TRIBUENDUM.



G VIR-



HOMINIS VIRTUS,  
 SI EI SE ADDATUR FORTUNA,  
 NON RESPUIT COMITEM;  
 SIN DESERAT,  
 INSTITUTUM TAMEN PERGIT ITER.




QUI




QUI  
 DE CIVIBUS  
 RATIONEM CONSILII,  
 NON EVENTUS FORTUNAM  
 REQUIRIT;  
 QUAM PRAECLARUS,  
 TAM RARUS  
 EST PRINCEPS.






FASCES, ET IMPERIA  
 FORTIBUS VIRIS  
 FORTUNA ETIAM SUFFRAGATUR;  
 PUBLICA FUNERA  
 SOLA VIRTUS DECERNIT.




FU-



FUNERA PUBLICA  
SUNT  
FORTIUM VIRORUM  
INTER HORRENDA MORTIS  
OBLECTAMENTUM.



QUID



QUID EST  
PUBLICUM FUNUS?  
LAUDIS TESTIMONIUM,  
QUOD NUNQUAM VANI  
ARGUERE POSSIS.



*In Ara Sangriorum.*

CAROLO SANGRIO


E SANCTOLVCIDENSIVM MARCHIONIBVS  
 QVOD SVB INITIA BELLI DE HISPANIENSIS IMPERI  
 SVCCESSEONIE AVSTRIACI IVRIS VINDEX NEAPOLI  
 ANNO c*lo*lo*cci* ALTO ERECTOQVE ANIMO MORTEM  
 PERPESSVS SIT VT ET VIRI ERGA AVSTRIVM PRINCIPEM  
 FIDES ET AVSTRII PRINCIPIS IN FIDOS SIBI GIVES  
 GRATVS ANIMVS OMNI AETATI TESTATA FORENT  
 REGNO NEAPOLITANO SEX POST ANNIS PARTO  
 WIRICVS COM. DAVN. IN EXPEDITIONEM NEAP.  
 SVMMVS GERMANICI DVX EXERCITVS DEIN  
 REGNI MODERATOR VICARIVS EX CAROLI AVSTRII  
 III HISPANIARVM ET NEAP. REGIS DISERTO  
 DILIGENTIQVE IVSSV HVNG TVMVLVM PVBLICO  
 PRIVS FVNERE ET QVAESTITIS HONORIBVS ELATO  
 EXTRVENDVM CVRAVIT



*In*

*In Capyciorum Sacello.*

JOSEPHO CAPYCIO  
 E ROFRANENSIVM MARCHIONIBVS  
 QVOD INEVNTE BELLO DE HISPANIENSIS IMPERI  
 SVCCESIONE NEAP. AVSTRIACI IVRIS ASSERTOR  
 ANNO cI*5*cc*1* IN APENNINO AD XXX AB VRBE  
 NEAP. LAP. MORTEM FORTITER OPPETIERIT  
 QVO ET VIRI ERGA AVSTRIVM PRINCIPEM FIDES  
 AVSTRIIQ. PRINCIPIS IN FIDOS SIBI CIVES GRATVS  
 ANIMVS OMNI MEMORIAE COMMENDARE T VR  
 REGNO NEAPOLITANO SEXENNIO POST RECEPTO  
 WIRICVS COM DAVN. IN EXPEDITIONEM NEAP.  
 SVMMVS GERMANICI DVX EXERCITVS DEINDE  
 VICARIVS REGNI MODERATOR A CAROLO AVSTRIQ  
 III HISPANIARVM ET NEAPOLIS REGE ID DISERTE  
 AC SEDVLO FVSSVS HOC SEPVLCHRVM PVBLICE  
 PRIVS ET QVAM HONORIFICENTISSIME FVNERATO  
 EXCITATVM CVRAVIT.



AD TUMULUM  
JOSEPHI CAPYCII  
FRIDERICI PAPPACODAE

E Pyxuntinorum Marchionibus,  
Et Centulanorum Principibus.

**M**agnificum hunc tumulum violis ne comple, viator,  
Pectora non planctu, non oculos lacrymis.


Capycius quando unquam fuit hic tumulatus Josepb,  
Quando habet in cœlis, & super astra locum?


Certe hic sunt cineres. Cineres, non ille sepultus.  
Josephne, an cineres illacrymandus erit?

Neutrum equidem: neq; quod sculptū est in marmore nomen  
Vivet hoc: ipsa licet marmora defiant.









SPECIAL  
74-E10787

XMAS

- JETTY CENTER  
LIBRARY

